



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum  
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt  
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

**Agostini, Giuseppe**

**Coloniae Agripp., 1644**

Nemo ordinandus est absque Canonico titulo beneficii pacificè possesso,  
n. 20.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41767**

*Nemo ordinandus est absque Canonico  
titulo beneficiati pacificè possesso.*

XX. Cum nullus ad ordines titulo beneficij Ecclesiastici quantumvis optimi promoueri debeat, nisi canonicam institutionem, & pacificam possessionem eiusdem beneficij se obtinere antea probauerit; & idcirco qui ad Ordinem Subdiaconatus se præsentare uoluerint, maturè prius examinata illius muneris, ad quod aspirant, dignitate, & si onus quod vltro appetunt (nempe perpetuam castitatem seruandi, & Dei seruitio atque Ecclesiæ ministerio se totos mancipandi) vires eorum, Deo adiuuante, excedere non sperent, compareant aliquot diebus ante ipsam ordinationem, coram nostro in Pontificalibus Vicario, cum documentis collationis seu institutionis, possessionis; nec non annui valoris sui beneficij, ad cuius titulum promoueri intendunt; quæ si sufficientia iudicauerit, hoc suo scripto testabitur, ne cum ad examen vitæ & doctrinæ venit, hæc inquisi-



tio, eundem nostrum Vicarium seu Examinatores ad id deputatos diutius remoretur.

a *Conc. Trid. sess. 21. de reform. cap. 2. Conc. Prouinc. Colon sub Hermanno 5. parte prima. c. 30.*

*Titulus Ordinandorum qualis, & plura quæ eò spectant.*

XXI. Titulus beneficialis sit annui redditus quadraginta, vt minimum, Dalerorum Coloniensium, omnibus oneribus deductis, qui titulus in Registro Episcopi Ordinatoris & literis ordinati disertè exprimatur. Et quò fraudibus ordinandorum occurratur, qui suum titulum sæpè resignant contra prohibitionem Concilij Tridentini, a quò expressè declarat, huiusmodi titulum resignari non posse, nisi factâ mentione, quod ad illum titulum resignans sit ordinatus, neque eam resignationem posse admitti, nisi constito, quod resignans aliunde viuere commodè possit, & aliter factam resignationem nullam esse; volumus vt

*quili-*  
a *Conc. Trid. sess. 21. de reform. c. 2. & sess. 25. de reform. c. 16.*